


BARTHOLOMAEI RICCII IN BARTHOLOMAEI FERRINI FVNERE ORATIO.

AD LANFRANCVM GIPSIVM
HERC. ATESTII FERR. PR.
ET ATRII PRAEFECTV̄
ACCVRATISS. ET
CONSILIARIVM
PRVDENTISS.



Bart. Riccius Lanfr. Gipsio. S.D.

VIdes Gipsi qua cõditione homines simus nati, quàq; nobis ea vel cum belluis cõmunis, nisi longe ẽt inferior interdũ sit; Ferrinus adolescens optimis morib. vita integerrima fructu iam maximo, qui tamen longe maior sperabatur, tam subito nobis ereptus est, vt repentino mortuus videri possit. quem ego casum, quã cõmunẽ amicorꝝ iacturã, quę in eo maxima facta est, cũ multis modis mecũ lugerẽ, neq; meo tñ dolori neq; eius virtuti à me satis factum esse duxi, nisi meis lachrimis aliis quoq; lachrimas cõmouissem. Quare hãc orationẽ, quam in eius funere scripsi, edere statui, sperans id me eo modo ab omnib. qui eam legerẽt facile consequi posse. ea vero separatim vt sub tuo nomine exiret, volui. sciebam.n.te in primis illum amasse, summoq; eius desiderio quotidie grauius commoueri, vt nihil dubitarem quin tibi huius lectione istas lachrimas excuterem facillime. ac hoc quoq; modo si mecum tantum amicum defleres, tibi foret longe gratissimũ. Lege igitur, ac defle. parẽq; luctum pari beniuolentię redde. in primis autem etiam atq; etiam diligenter, vt valeas, cura, vale.

Bartholomęi Riccii, in Bartholomęi Ferrini Funere, Oratio.

VTinam Princeps amplissime, Ciues honestissimi Bartholomęi Ferrini laudes hodie mihi ex hoc loco vobis essent lachrimis explicandæ, cumulate.n.hoc modo illis me satisfacere posse facile sperarem. sed cùm id mihi oratione faciendũ esse video, ne id satis præstare possim, prope despero. nam, cùm illæ multæ ac magnæ sint, meæ autem dicendi copiæ multó minus q̃ mediocri, tanta vis lachimarum accedat, quantam ex istis miseris oculis defluere videtis, ne istis opprimar dicendo, ac pro verbis lachrimas tantum vobis hoc loco effundam, magnum est periculum. Cur igitur potius cum mulierib. domi istud officium Ferrino tuo non præstitisti? locum hunc alii ad dicendum & paratissimo, & fortissimo viro reliquisti? Vtinam id mihi per eius charissimam vxorem, ac propinquos omnes licuisset; fecissem equidem q̃ libentissime. sed cum isti omnes hoc munus à me vno contenderent, atq; ita contẽderent, vt aut illis ingratissimus, si id negassem, aut vobis ineptissimus, si cõcessissem, viderer omnino. malui meã fidem hoc quoq; modo illis probare, q̃ vestrã animi mei imbecilitatis accusationem certissimã tacẽdo deuitare. Tu igitur dolor, tu dolor vnde mihi tam perpetuum luctus flumen emanat, hoc mihi nunc, quantum vnius horæ est spacii, cõprime. tu lachrimas siste, mẽtẽ atq; animũ laxa; vocem libera. verba explica. breuis emporis est, quod te oro; non qin multa & maxima mihi hodie dicenda essent, sed vereor, si longius tempus petam, ne id te exorẽ, quin ex hoc quoq; tam paruo, si impetro; me tibi gratissimũ fore polliceor. nam cum me domum contulero hodie, cras, ac quoties tãti amici in mentẽ venerit, (veniet autem sæpissime) toties vim

lachrimarũ ingentẽ tibi persoluam, toties luctum meũ renouabo.

Nascitur hic igitur (vt inde orationis meæ exordium sumam vnde is vitę suę initium sumpsit) parentib. obscuris, nulla familiæ cognatione, in re autẽ per q̃ angusta. vt si fortuna huic Ferrariam patriam ademisset. nihil hoc homine infelicius, nihil miserius nasci potuisset. sed quantum huic fortuna improbe detraxit, tantum, atq; adeo longe amplius à natura isti ipsi recompẽsatum est. continuo.n. hæc id huic ingenii elargita est; quo ad omnia ingenua studia maxime aptus esse videretur; quo item & dotẽ satis amplam, affines, quos voluit, certe posteros, si vixisset, nobilissimos relicturus, dignitatem aũt quautam mox audietis, sibi comparauit. Nam cum Pistophilus Alfonsi Pr. à secretis pari vir & iudicio & integritate hunc adolescentem optimo ingenio, spe maxima videret, continuo illi animum adiecit, neq; prius ab illo suo desiderio destitit, q̃ eum in illum locum, qui est à scribẽdis Principis epistolis collocauit. Iam decimus sextus hic ãnus agebatur, cum primum Alfonso patri tuo hanc operam in scribendis epistolis publice dare instituit; quã ẽt tibi Herc. Pr. multos annos prętitit integerrimam. cuius officii recte perfungẽdi cum duplex ratio sit, vna, quę ad ciues, atq; ad cæteros quib. aliquo modo cum Principe agendũ sit. altera, quę tota ipsius est Principis, cũ ei scilicet cũ cęteris principib. per litteras aliquid agendũ est. hic noster in vtra magis valuerit, nõ facile dixeris. nã sic cũ ciuib. sic cũ prouincialibus, sic cum exteris in ea scribendi ratione versatus est, vt qui q̃ benignissime, continuo.n. quicunq; ad se adibant, qui suã operam poscebãt, eo & vultu, iis verbis accipiebat, vt nihil amicius, nihil humanius accipi posset. re vero postea ipsa & breui et fideliter confecta, sic eos à se dimittebat, vt nihil benignius, nihil amicius dimitti posset. ac quoniam non omnium hominum vna

eademq́; ratio habenda est. sed quisq; pro sua conditione est tractandus. hic noster in hoc virorum delectū habendo minū habuit artificium, nam siue ignobiles ad hunc accessissent, siue splendido loco nati, siue pauperes, siue in re benelauta positi, siue cogniti, siue minus noti, omnes pro conditionę personæ mire amplectabatur. ac quasi speculum faciebat. cui quidquid obiectum sit, quale id cunq́; est, tale referre solet. qua vna quoq; ratione id illi eueniebat. vt inferiorib. parib. potentiorib. ęque charissimus esset, omniumq; laudem sine inuidia facile reperiret. Altera vero huius officii pars erat. quam totam ad Principem pertinere dicebamus, cum is scilicet cum aliis principib. per litteras agit. huius item duplex est ratio altera in iis, quæ à principe in totius rei materiā in q̄ paucissimis verbis dictantur, recte percipiendis; altera vero in iis ipsis postea & prudēter, & ornate conscribendis. in quorū priore sic Principi suo hic satisfaciebat, vt cum adolescens erat, raro vllum huius verbum, cum vero vir factus est. nullum ab eo corrigeretur.
In altera vero sic excelluit, vt pares paucos, superiorē certe habuerit neminem. nam si scribendum erat ad Pont. Maxi. ad Regem, ad Senatum aliquē, ad parem, ad inferiorem, cōtinuo quod Princeps trib. illi verbis dictasset, id ipse longiori oratione explicans, sic statim cōstituebat, sic vnum quodq́; suo loco collocabat. vt nihil aptius, nihil magis composite strui, atq́; disponi posset. ea vero postea dictione illud scribebat hac nostra, qua vulgo italice loquimur, qua quis id optime facere didicisset. ac, quod in primis prouidendum est. cuiusq; personę rationem diligentissimā adhibens, decorum suum attente conseruabat. Cum vero (quod sępius Pr. accidere solet) vt de re eadē ad plures litterę dandę essent, quoties id huic nostro vsu venisset, caue quicq̄ decima cęteris similis esset

epiſtola, vna res erat, argumentum idem, ſic varia tamenac mul tiplex, & inſtituendi ratio et explicādi locutio, vt nihil alia ab alia mutuata eſſe videretur. Mos item prudentum eſt Principum, quiq; ſua conſilia per ſuas litteras deprehendi nolunt, vt quibuſdam ſuis certis notis loco literarum poſitis vtantur. hic ita in iis, quib. vtitur Princeps noſter verſatus erat, ita in alienis minime rudis, ita in conficiendis nouis aptus, vt facile omnes omnium Principū enodaret, ac ſine vlla difficultate percurreret. Quę omnia Herc. Princeps facile animaduertens, ac optimi adoleſcentis ingeniū, ac prudentiam ratus intra anguſtiſſimos ſcripturæ cancellos non eſſe amplius continendū, ſed alios fructus ex eius ore, ac, (quod dicūt) viua voce capi iam poſſe videret, primum huic ferè omnes italicas legationes obeundas comittit, Mediolanum ad Hiſtonii Principē, ad ſenatum mittitur. in Flamminiam ad Pontificios prefectos quotidie, ſæpius Bononiā, Māntuā, Venetias nō ſemel. poſtremo autem ad Regem etiam Cæſarem in Germaniam, quo tēpore bellum illud aduerſus gallcs gerebat difficillimū. ex quib, omnib. legationib. fæliciter reb. ſuis confectis ad Pr. ſuum ſemper rediit; ex qua quoq; tanta huius tum fide, tum prudentia mira omnium hominum conflata erat opinio, vt hunc Pr. Hercules cùm vſus veniſſet, in eorum numerum, qui tibi ſunt à ſecretis, prorſus decerneres; idq; iampridem, ſi videri poſſet, te apud animum tuū idem conſtituiſſe arbitrabantur, quam dignitatē cū aſſecutus eſſet, nihil ei poſtea, quod à te Pr. ſuo habere poſſet, deſiderandum relinquebatur. is.n ei ſupremus, ac maximus erat apud te locus, in quem eum etiam perueniſſe recte dici poteſt, quando ab omnib. eo dignus eſt iudicatus, atq; à te Pr. ſuo eo nomine in legationib. ſit ſemper appellatus; Quo vno tanto viro, tam immature tibi erepto

ac quo tempore eo tibi magis opus esset, hoc loco tuo nomine dolendi finem nullum facio, quẽadmodum in eo nullus tibi finis factus est iacturæ. nam vt omnes tuos (quod cum eorum tamen bona gratia dictum volo) diligenter perlustraris, cum Ferrinum alterum repereris, in eo secundum, & reliquos repereris. Sed quid ego dolorẽ tuum augeo? quid te acrius solicito? cur pectus tuum singulis verbis meis effodio? quare transeo ad reliquas huius cum corporis, tum animi virtutes egregias. Hic igitur forma fuit eximia, ore atq; oculis (vt omnes nostis) quib. ad sese amandum facile quemuis alliceret, vultu hilari, oratione suauiss. maximeq; explicata; mundicie ac totius corporis actione felicissima. quæ bona cum vsq; eo bona sint, quoad cum virtute coniuncta sunt, ac sępius iis obesse soleant, quib. attributa sunt, tantum abest, vt huic nostro quicq̃ obfuerint, vt summam omnium illi admirationem constantissime conseruarint. hic .n. iis bonis semper sic vsus est, vt nulla eorum vi ab honestate vnq̃, vel lato, (quod aiunt) digito abduci permiserit. putauit .n. vir sanctiss. nihil homini turpius, nihil tetrius accidere posse, q̃ quę à Deo bona haberet, ea si ipse iniquius coinquinaret, ac fœdius conspurcaret. In cibo, ac potu eam delectationem capiebat, quam qui optimo esset gustu, vtrumq; tamen modeste, atq; adeo intra modum continuit. ad corporis .n. vires reficiendas, non ad immodicam sacietatem victum sumendum esse arbitrabatur.

Quid autem dicam de eius fortitudine? qui eo semper vultu est visus in aduersis, quo etiam in lætis, ac prosperis? certe .xii. ãnos, quos egit cum vxore bene locuplete fortissime egit, si quidem cũ ea interea nunq̃ litigauit, verbum nullum cõmutauit. quod q̃ rarũ, quàm forte, q̃ omnes Herculis labores longe superet, is facile iudicabit, qui vxorẽ habuerit aliquando. Iustitiam vero, idq; iure

optimo omnium virtutum reginam habuit, itaq; etiam hanc vnam
maxime coluit, pro qua id sibi prudenter confecerat, quod etiam
crebro in ore habebat; amicitiæ vnam iustitiam sanctissimas aras
esse. intemperans sim (inquiebat) amici causa, facillime ferri po
test. timeam pro eodem, imprudentiæ etiam propter eundem ac-
cuser, nihil admodum laboro. si vero in paruã pro amico iniusti-
ticię suspitionem mihi incidendum sit, ego tum facile in alia om
nia. Possum ego vere testari, cum á quodam Primario viro, cui
præcise negari non poterat, nescio quid minus honestum rogaretur,
sic ei illum esse obsecutũ, vt eius scriptũ (res.n.scripto agebatur)
pari ratione in vtranq; partem cõmodissime exponi posset. quod vt
Pr. ciuis animaduertit, surridens inquit, vt Ferrine prudenter sa-
pis? cui ille paulo liberius. tu vero postac in petendo non solum
tuam, sed à quo etiam petas, rationẽ adhibebis diligentiorem.
Huius item virtutis est, odia sedare, lites componere, in pristinã
concordiam grauiter infensos animos restituere, reconciliare. caue
quenq̃ putes Ferrino, ad conciliandas hominum iratas mentes, ad
discordias sedandas aptiorem vnq̃ fuisse. continuo.n.in huius vul
tu illo lætissimo iratorum animi omnem iniuriam, omne odium de-
ponebant; si quid tamen paulo altius impressum resedisset, vix
tertium huius verbum expectabat. quin se se totum effunderet, li
quefaceret. Iustitiæ vero liberalitas coniuncta est. quoniã autem
huius virtutis pars altera in officio versatur, in hac parte (nam in
large dando qui potuit, cui nullæ facultates adessent?) longe om
nes officiosos superauit. hic scripto, hic presens, hic in vrbe, hic
foris omnib. prestò affuit, nulli vnq̃ defuit, tametsi altera quoq;
liberalitatis parte non omnino caruit. sciò itẽ ego, cum pro quodã
suo, pro quo is fidem suam mercatori cuidã obstrinxerat quinquã-
ginta

ginta numos aureos idq; ab vxore sua dissoluisset, eos nunq̃ postea ab illo repopossisse. Huius autẽ prudentiã hoc loco plurib. non persequar, id.n. Pr. tibi satis habebis, quod in eo toties expertus es, qui ei res grauissimas quotidie commisisti, in quib. tibi prudẽtissime conficiendis tuam opinionem, suam etiam ætatem facile superabat. Isti vero scire te eius opera, studioq; assidue vsum esse, ac si diutius vixisset, diutius etiam esse vsurum. nam si huius prudenter dicta, ac facta singula recenseam, tota huius actæ vitæ ratio huc reuocanda est; nihil.n. non sũmo cõsilio suscepit, nihil summa cum diligentia non tractauit, nihil cum maxima prudentia non confecit, absoluit, Tametsi id quoq; non leue huius testimonium vel omnis integritatis esse potest, ꝙ ab eo viro institutus sit, qui q̃ diu vixit, ab omnib. optime adiuit, mortuus aũt quasi pro Deo collitur. ex Pistophili .n. ludo hunc exisse (vt dicebam) maius argumentum huius prudentię prope nullum afferri potest: si quidem tantum intersit, nisi etiam interdum multo magis, à quo quis institutus sit, quantum etiam à quo quis procreatus; hunc is suscepit, adolescentulum, aluit, instituit, hæredẽ moriens ex bibliotheca sua scripsit, in qua omnia sua consilia sua manu reliquit cõscripta. vt si nulla sua Ferrinus prudentia probatus sit, hoc tamen tanti viri testimonio magnopere cõmendari neccesse sit. cui testomino sic hic tamen in dies magis respondebat, vt vtrum maius sit, quod acceperit, an quod reddiderit, recte dubitetur. Quãta vero laus in vna amicitia ponenda sit, neminem arbitror nescire, qua vna de mundo sublata, vt totus mũdus tollatur, necesse est; hac vna Ferrinus noster cum domi, tũ foris illustriũ virorũ maxime floruit, in vrbe .n. primarios sibi omnib. beneuolẽtię vinculis cõiũxerat, Tassonios Cõtrarios, Trotios, Biuilaquios, Calcagninios, Areostios, Mus-

tios, Costabilios, Sacratios, ceterasq; nobiliss. familias. foris autē Cornelios, Pepulios, Maluetios, Rangonios, Turios, Martinengos, Viscōtios, innumerabiles alias totius italie, multis ac magnis officiis vrbanis adiunxerat amicitiis, quib. omnib. cum hic tā improuiso nuntius afferetur, cum Ferrinum decessisse nūciabitur, Dii boni qui gemitus? quæ suspiria excitabuntur? qui ploratus? quæ lamenta? que in fata ipsa etiā aspera verba? Tu vero in primis vbi vbi es, Victoria Collonia, quo numero? quib. versib. huius interitū deplorabis? quo questu viduatam eius vxorem lamentaberis? scio .n. tibi statim totum statum tuum (si licet parua magnis interdum conferre) in mentem venturū, eiusq; vulneris parē rationē vulnus tuū paulo accerbius refricaturam. Hec omnia Pr. que de tanto viro commemorauimus, sua quidem, eaq; maxima cōmendatione digna sunt, quæq; summis in cœlū laudib. efferantur. verum illud, quod nunc dicam, huius omnes, atq; adeo ceterorum omniū hominū laudes facile superat. Multos quotidie Pr. eosq; etiam cumulatissime laudari audimus; semper aliquid tamē, atq; etiam multum interdum in iis desiderari, semper aliquid excipi, item audimus, tam.n. humana conditio ad perfectionem suam debilis atq; manca est. hic vero noster sine vlla virtutis exceptione, sine vlla controuersia, omnium omnib. coniunctissimis sententiis in cœlum fertur. nihil contra vel minimi vicii affertur, nullo turpetudinis neuo tanta sanctiss. viri integritas aspersa est. iuuenes senes, viri, fœmine, pauperes, diuites, ciues, peregrini, eque huius laudandi finem faciunt nullum. Quod vero ad literarum studia pertīnet, hic in primis politiorib. literis, quas humaniores appellāt, delectabatur; in quorum omnium facultate cum admodū uersaretur, oratorib. tamen ac poetis diligentiorem operam dedit; in quorum

alteris interdũ etiam aliquid, neq; fortasse ingrate, lusit; valuit.n. multũ in epigrãmate, sed longe magis in lyrico carmine precelluit. in alteris id curæ adhibuit, vt linguam suam magis locupletiorẽ redderet, q̃ latinã perdisceret, tametsi neq; in ea prorsus, si quãdo vsus ei veniret, scriberet impolite. Sed cũ eius studii facultas magis hoc dicendi genus, quod vulgare appellant, bene cultũ postularet, in hoc vno longe studiosius habitauit, in quo etiam siue in pangendis versib. siue in soluta oratione conscribenda, egregie excelluit; extãt eius complures endecasyllabi ad Francisci Petrarchæ rationem ea elegantia, atq; dignitate conscripti, quę à doctis iterum & sępius summa cum voluptate legi possint. In soluta vero oratione pręter infinitas, easq; optime scriptas literas, legitur eius oratio de laudib. eloquentię & artificio, & doctrina minime vulgari; supplicem huius item libellum ad te Her. Pr. pro Bartholomeo Ambrosio legimus ipsi, ea copia, ea dignitate, eo splendore ea deniq; arte conscriptum, qua nullum (audeo dicere) in eo genere vnq̃ legisti, neq; leges multos in annos. In Bibliotheca autem sibi constituenda Dii boni quid non impendit? cui vnq̃ sumptui pepercit, cũ liber aliq̃s nobilis editus esset? omniũ librariorũ indices adibat, quos bono nomine ĩ illis libros offendisset, ad Gre. Giraldũ appollinem suum delphicũ deferebat, eius consilio postea aut eum emebat, aut reiiciebat. postremo etiã paucis ante q̃ moritur dieb. Galenum integrum Augustino, Aristoteliq; adiũxerat. quam Bibliothecam ea diligentia (vt elegantiss. librorũ conglutinationẽ omittam) eo studio, eo nitore custodiebat, qua se ipsum, qua os suum faciebat. Iam vero quod ad religionem attinet, in qua vna salus nostra continetur, cætera.n. ad ornamenta ea quidem sunt recte cõstituta, hæc vero vna ad perpetuam salutem cõparata est. hic de

Christo optimo maximo, ac de Christi ipsius sanctiss. institutis integerrime sentiebat. frequens erat in Hieronymo, frequentior in Augustino, Paulo autem mirum in modum afficiebatur. Tertio die quo in morbum incidit, ex quo non conualuit, Mutinæ, quò te Herc. secutus erat, sacerdotem postulat, huic de more sanctiss. errata sua confitetur, penitentiam agit; domum autem relatus, suũ. item certum acciri imbet sacerdotem, confessionem illam renouat; sub quam Christi corpus postulat, quib. sanctissime peractis, Deo gratias agit, quód sibi eo quoq; tempore ad salutem non defuisset. ingrauescit in horam morbus, assidet sacerdos sanctiss. Christi cruciatus humanos illi interea legens, quos sibi is eum passum esse sciebat. postremo cum prope animam ageret, vt se sanctiss. oleo vnctum sensit, sacerdoti etiam gratias egit, qui sibi in omnibus quę ad fidelem christianum morientē pertinent, præsto affuisset, neq; multo post meritur. vt nulli dubium esse possit, qui ita in fine se. cum Deo gessit, quin ita de eo, vt par christiano fuit, semper iudicarit. Quin & ex eo ipso sanctiss. discessu nulli dubitandum esse arbitror, quin tam religiosus animus, tamq; pio deorum cultu præditus, recta in cœlum euolarit, vbi vnus cœlitum factus ea gloria perfruitur, quam quisq; nostrum, qui Christũ humani generis seruatorem fatemur, quiq; eius sanctiss. mandatis fideliter obtemperamus, frui speramus. Fuit hic quidem dies Pr. tibi acerbus, huius liberis, vxori, propinquis cæteris luctuosus, ciuib. tristis, amicis omnib, grauis, sed ex iis, quę ante diximus, ea fides omnib. fit, vt non solum hic ex iucundissima vita in aliquod malũ ereptus, sed ex summis miseriis in summam gloriam sublatus esse videatur, nã qui ita vixit, itàq; moritur, cũ christo eũ vixisse, atq; nunc cum eodem beatius viuere, pro certo est affirmandum. Quare illi etiam

magis gratulandum esse nunc censeo, quod is animus quasi ex suo exilio in patriã reuocatus sit, ꝙ ex his tenebris in æternã ac splẽdidiss. lucem exiuerit, ꝙ ex hoc carcere ad veram illam ac perpetuam gloriam euolarit, q̃ quicq̃ dolendum, quó eo cadente nobis multa, ac maxima cõmoda conciderint. Vim igitur dolori faciendum est, lachrimæ cohibẽdæ, fletus, questus, lamenta compescenda sunt, ne magis in erepto amico nostra cõmoda queri videamur, q̃ summa illi bonorum omnium accessione facta non magnopere lætari, id quod Pr. ampliss. vt eius vxor, socer, socrus, propinqui reliqui, qui dolori lõge propiores sunt, facilius præstare possint, in tua positum est manu, id autem erit, si huius liberos, illorũ nepotes tua aliqua presenti benignitate subleuari curabis. duo mares sunt, fœminę quatuor, septimus reliquus est, qui septimum mensem in matris vtero misere agit; cui, cum in has tenebras (quid .n. lucem dicam cui omnis lux in patre mortuo adempta est) exibit, Bartholomei patris nomen posthumo paratum est. sane misera liberorum manus, nisi in hac sua calamitate eo minus infelices liberi, ꝙ eam ætatis benefficio nullam nunc sentiunt, sed si à te destituantur, omnium futuri sunt miserrimi, cum natu grandiores in vno sanctiss. parente suo cadente, omnia sua bona concidisse intelligẽt. Tamet si iure quundam optimo liberi ipsi quasi tecum agere posse vidẽtur, vt fidem tuam, quam auo materno dedisti, sibi nunc eam tandem dissoluas, tecũ .n. hi sic agunt. Scimus Herc. Pr. te facile recordari, cum auus noster Ferrinum tum, postea parentẽ nostrum, generum suum recusaret, propteteaq; nulla illi res erat, nihil suum, in quo pedem ponere posset, habebat, quasi hoc, quod euenit miser senex misere diuinans, te illi respondisse, mihi ea est pro eo quoq; q̃ amplissima. cui voci tum infelix auus filiam suam despondit, quã

tuam benignitatẽ pater viuens, quę summa eius erat modestia, nũquã a te postea repetiuit, neq; tu interea, nobiliss. fortasse occasionem aliquam expectans, quicquã in eum contulisti; nunc vero cũ pater decessit, hoc est (si quid tamẽ magis dici potest, quã pater) cum omnis victus, educatio, honos, dignitas bona omnia nobis alempta sint, istanc eandem benignitatem tuam in hac tanta egestatis nostræ occasione omnib. lachrimis à te eflagitamus. Sub matre quidem Pr. sumus, quæ vere, si qua alia, mater est, sed adolescens mater est tamen, ac fœmina, hęc si secundo nubat, quod eius ætas nobis maxime minatur, victum nostrum, atq; adeo vitam nostrã vitrico dotem secum est allatura; nos vero nunc patre optimo orbati, tum à matre etiam viua destituti, atq; deserti, quo Pr. confugiemus? cuius opem implorabimus? quid miseris septem infantulis pueris faciendũ erit? Ferrini scilicet filii victum hostiatim queremus? nihil tandem nobis à parte relictum erit, nisi Ferreum nomen? nisi egestas? nisi rerum omniũ indigẽtia? Tu solus Pr. ampliss. nobis relictus es, in quo omnis spes nostra nitatur, cui vni confidamus, in cuius vnius benignitate secure acquiescamus, amici, paucis quibusdã exceptis, vnã cũ ea vtilltate, quam ex parẽte vero percipeibãt, nobis interiere. Tu solus es Pr. qui non pro nobis rogare, sed qui iubere potes, vt nobis benignissime fiat. Iube igitur Pr. ampliss. atq; idem christianiss. iube aliquid nobis attribui, vnde victũ, vnde vestitum certiss. sumamus, neq; quo ad luxuriã abutamur, sed quo mares ad paterna studia, fœminę ad legitimas nuptias minus misere traducamur. Hęc tecũ Pr. miseri liberi tanto patre orbati, à propinquis pene nudi, à re certe pessime parati. ego vero hęc etiã pauca. Nulla hæc tibi causa sit Pr. quãobrem his miseris filiolis subuenias, nũquã id dixeris, nunquã pmiseris, ea te tantũ moueat

causa, ꝙ eius hi filii sunt, quem ipse tãtopere dilexisti, qui quàm diu vixit parenti tuo partim, partim tibi ipsi fidelissime vixit, in quem ille sua morte occupatus, tu istius impeditus, vllum separatim beneficium, cum maxima quotidie policeremini, contulistis, tu nunc, quod Ferrino tuo, atq; parentis tui nomine debebas, eius filiis disolue, fidem veriusq; vestrũ libera, miseris subueni. Scio ego te Pr. (quæ tua est animi altitudo) in ista benigne faciendi ratione libentissime versari, cum tua sponte id facis, cũ nullis officiis prouocatus eam exerces, isti tuo splendidissimo animo sine nunc accedant Ferrini fides erga te tot ãnorꝝ integerrima, tot intinera summæ difficultatis plena, hoc etiam mutinense, quod ꝗ̃ꝗ; omniũ facillimum esse debuit, huic tamen perniciosius accidere non poterat, cum in eo vitam amiserit, Da igitur vtriq;, et quod à te iure ęquiss. expectamus, & tua benignitas à te postulat ipsa. fac Pr. ampliss. vt quod miseri filii ætatis beneficio parentem sibi ereptũ esse non sentiunt, tua etiam benignitate in re eum sibi decessisse minime sentiant, quod pater à te expectabat, eius filiis elargire, in hoc illis te parentem præbe, in cuius ipsi officio tantum parentem amiserũt, hoc exemplo cæteros excita, qui hoc munus subeant alacrius, qui vero in pari versantur, hoc modo eos ẽt studiosiores efficе, cum quod suis sperant, aliis benignius fieri videant. Ferrino postremo hanc gratiam fac, illum hac summa quoq; affice voluptate, qui, si quiꝗ̃ qui decessere, sentiunt ex iis, quæ apud nos gerũtur, vbi senserit filios suos quasi in filiorꝝ locũ a te esse susceptos, nõ ꝙ hęc eã, qua apud Deũ opti. fruitur maxima, lætitia superatura sit; certe ex isto tuo præclariss. facto nõ minus capiet voluptatis, ꝗ̃ si in se ipsum, cum tecum viueret, hęc omnia, atq; adeo multo plura, multoq; maiora contulisses. Dixi.

.D. M.

BARTHOLOMAEO FERRINO HERC.II.
FERR.PR. A SECRETIS, FIDE IN SVVM
PR. SINGVLARI, RELIGIONE IN DE
VM SANCTISS. STVDIO IN AMI
COS. HVMANITATE IN OM-
NES RARISS. PARI ET COR
PORIS ET ORATIONIS
ELEGANTIA, TOTA
DENIQVE VITA
QVAM IN TE
GERRIME
PERAC
TA.
OB QVAS VIRTVVES AB VNI-
VERSA CIVITATE
NVLLO FINE DEFLETO.

IACOB. SOCER, ANTONIA SOCRVS
VNA CVM MOESTISS. FILIA
EIVS VXORE CHARISS. PO
NI CVRARVNT.
VIXIT AVTEM ANNOS .XXXVII.
OBIIT PR.
NO. OCTO. M. D. XLV.

